

Qua tandem ratione dirimi possit Controversia, que in præfatis de efficaci Dei Auxilio, & Libero Arbitrio, inter nonnullos Catholicos agitur: Ad Sanctissimum, & Beatissimum Clementem VIII. Pontificem Maximum, Avatore Paulo Benio, Eububino, inter Patavini Collegii Theologorum ministro. Impressum Patavii in Officina Laurentii Pasquari, anno 1603. Omnibusque, qui illum forte habuerint, jubemus, ut quam primum ad Officium nostrum afferant. Datum in Palatio Apostolico die 15. Maii 1604. E. Joannes Maria Brighella, qui supra, manu propria. Pro D. Paulo Spada Notario Stephanus Spada Substitutus. Romæ in Typographia Rev. Camera Apostolica 1604.

Inter hæc cepit magnis studiis tentari Controversiæ compositio; cujus se sequester exhibuit Ferdinandus Comes, datus ad Clementem VIII. Epistolis. Oblatas condiciones audire noluit prudentissimus Pontifex, ratus, eam non esse Controversiarum Fidei sortem, ut bona gratia componi valeant. Caterum cum ad demetendam illius gratiam nihil se deinceps typis daturus Jesuita, spondisset, quod Sancti Thomæ doctrinam adverteretur; eos interim hac lege stare voluit, eaque duntaxat conditione liberam eis fecit imprimendi veniam. Decretum sub hac forma prodiit die 29. Aprilis 1604. (1) *Letto Memoriali Patrum Jesuitarum, Sanctissimus annuit, concedi licentiam eisdem Patribus, ut libri imprimantur in Hispania, & Lusitania, absque eo quod prius mittantur revidendi ad Urbem, observatis limitationibus, in Memoriali expressis. Primo, ut scripta super materia efficacie Gratiae & aliis materiis jurisdictionis Ecclesiasticæ, mittantur ad Urbem, antequam imprimantur. Secundo, ut scripta, que clare sunt secundum doctrinam D. Thomæ possint libere imprimi: que vero sunt dubia, an sint secundum doctrinam S. Thomæ, prius mittantur ad Urbem censuranda, antequam imprimantur.*

Rejctis ergo amicæ compositionis conditionibus, Causa summo jure propediem finienda erat, nisi subortæ difficultatis scrupulus obfuisse. Clementi VIII. per interpositos amicos insurrexerunt, Pontificiam Auctoritatem in discrimen eo judicio adductum iri: Hispanos Apostolicæ Definitioni intercessuros, si contra Societatis doctrinam aliquid decerni contingeret: non paucos, pro sua in Molinam existimatione, aperte repugnatos: nonnullos etiam, suis præjudiciis occupatos, in Prædicatorum sententiam nulla unquam auctoritate adduci posse. Cavi spirabant mendacia folles, ut properantis Pontificis cursum retardarent.

Verum ares illas distulit Hispaniarum Orator, Maritum ea de re scripsit sub finem Junii: Regem monuit, Summum Pontificem, novo metu concussum, ac de ferendi iudicii exitu minus certum, animo fluctuare: verendumque quam maxime, ne ea Jesuitarum machinatione totus Congregationum istarum fructus evanesceret. Respondit Rex Catholicus, nihil esse, quod æqua ratione timeri possit: seque supra Auctoritate, atque etiam, si opus esset, districto gladio curaturum, ut Apostolicæ Definitioni parent universi. (2) *Su Magestad le prometia, (inquit Clarissimus Pegna) que en todas sus Tierras, Reynos, y Dominios, mandaria con puntualidad, y rigor guardar su Apostolica declaracion, romando las armas, y serviendose de la espada, si fuesse menester, contra los inobedientes.*

Optimo Pontifici fecit animum tanti Principis

religiæ promissio. Oratorem, Regi voluntatis obidem, gratæ animo ad audientiam exceptit die 28. Augusti 1604. sponditque, rem se quantum coniecturam. Tum solemniter pollicitationi fidem addidit die 27. Novembris, qua rursus Oratorem ad solemnem audientiam admittit. Ei quippe, pro Cause definitione ardentius supplicanti, respondit Sanctitas Sua, „probari sibi quam maxime supplicationem illam, remque se certissime consecraturum; atque etiam longe citius, quam aliqui fortassis existimarent: *„Su Santidad le respondo, inquit idem Pegna, que le era muy grata aquella instantia, y que lo havia y concludyria, quiza mas presto de lo que algunos pensavan.* Consilium confidentius aperuit Cardinali de Monopoli, sibi præ cæteris intimo, ac familiari; atque, in proposito sibi esse, Diploma Pontificum adversus Molinianos errores in pervigilio Pentecostes ad primas Vesperas promulgare, ac simul Thomam de Lemos in reportata Victoria præmium sacro Cardinalium Senatui adjungere.

Promissis respondebat sincera voluntas: at ne responderit exitus, obfuit rerum omnium Arbitrator Deus, cujus inscrutabilia sunt iudicia, & investigabiles viæ. Congregationes solito frequentiores habere coeperat ad fine usque Januarii 1605, ut Causa ferendo iudicio matureceret. Mox Prædicatoribus, ac Jesuitis significari iusserat, ut ad proximam Congregationem, de prolixiori Scripto suo, quindecim Articulis distincto, disputaturi accederent: quod ea ultima concertatione rei totius examen absolvere vellet. Veram, Jesuitis inducias pro more suo postulanti, Congregationem distulit in mentem alterum. Fatalem heu nimium dilationem! Sed quis novit tempora, vel momenta, que Pater posuit in sua potestate? Gratæ Controversias dirimere meditabatur, & ad Gloriæ requiem vocabatur, Lethali quippe morbo correptus die 14. Februarii, cogitationes suas omnes in Dei manibus condidit. Sacramenta, morientibus dari solita, religiose accersita, singulari pietate suscepit. Effusus precibus, ac lacrymis Divinam Clementiam efflagitavit. Ac demum die 3. Martii, sub mediâ noctem, mortalitatis contubernium, Pontificatu non tam diuturno, quam gloriose gesto clarus, defuit.

Restat, ut quinti hujus Examinis Congregationes, ab Clemente VIII. celebratas, distinctius, & minutatim referamus: quæque in illis disputata, gesta, sanctique sunt, ex Secretariorum Commentariis, qua majori brevitate poterit, recensueamus.

#### C A P U T VIII.

*Distincta quinti hujus Examinis Historia texitur, Quis in celebrandis Congressibus servatus ordo: que lex a Clemente VIII., antiquæ Traditionis herede, disputantibus data; ut videlicet ad S. Augustini mentem Controversia omnes exigerentur.*

Gregorius Coronellus, Auxiliorum Congregationi a Secretis jam pridem a Clemente datus, universa quinti hujus Examinis Acta duplici volumine complexus est. Primo, disputationes omnes, censorumque ad decimam-quartam Congregationem iudicia comprehendit; Altero, lata ad finem usque iudicia recitit. Servatur utrumque Autographum in Angelica Augustinensium Bibliotheca: Illud quidem numero 1, sub titulo *Disputationes, a Patribus Dominicanis, & Societatis*

tatis Jesu super doctrina Molina de Auxiliis habitæ coram Sanctissimo D. N. Clemente VIII. ab anno 1602. usque ad annum 1605. Illud sub signo, nulla præmissa Epigraphe. Ex hoc duplici fonte univèrsa delibabimus, quæ securis capitibus referemus.

Congregationibus sexaginta-septem crevit Examen istud, coram Clemente VIII. celebratis. Has inter ne vel unam reperire est, in qua secundum Molinam, & communem Societatis doctrinam iudicatum sit. E Censoribus duo duntaxat, nimirum Aquilanus Episcopus, & Antonius Bovius, probabilitatis titulo, Molina adfaverunt. Plumbinus, qui partes ejus superiori Examine tenuerat (si unam, alteramve Congregationem exceperis) a pristina sententia discessit, & cum reliquis in damnationis sententiam venit.

Congregationum porro hic ordo fuit. Disputationum argumenta, prout difficultatum necessitas postulabat, a Summo Pontifice designabantur, atque a Secretariis ad Consultores, & Theologos, pro utraque parte disputatos, diebus in antecessum aliorum afferbantur. Suas utrique Theologi repositiones parabant, quas stata die in publico Congressu de scripto recitabant. Quæcumque vero ad argumentationes urgerent, confutandas, aut diluendas utrinque supererant, ex tempore, atque affante Minerva, scholastico more proferebant. Postmodum, dimissis Prædicatoribus, & Jesuitis, residui cum Summo Pontifice, & Cardinalibus Inquisitoribus Consultores de disputata difficultate iudicabant. Quod ultimum ad sextam usque Congregationem duntaxat servatum fuit; cum enim animadvertisset Sanctissimus Pontifex, ob disputationum prolixitatem non satis plerumque temporis superesse ut ex tempore pro ferendo iudicio inter sese mature differerent Consultores; sanxit, ut in posterum speciales pro ferendo iudicio Congregationes haberentur, ad quas soli cum Summo Pontifice, & Cardinalibus Inquisitoribus Consultores accederent.

Hinc noveris obiter, quam turpiter aberravit Quæstionum eventitor, qui (1) Pontificem causam hanc per sese tandem expendisse, & iudicibus publicis Disputationibus præfuisse, commentus est, quod finitram de Censoribus opinionem induisset, illorumque eruditioni, æquitati, sufficientiæ minus fideret. Ecce enim, amabo, si sinistra de Censoribus opinio Pontificis animo infedisset, eosdem illos ad consultationem vocasset, ac non potius alios eorum loco suffecisset? Itane Pontificem Maximum, torque, illi hoc in Examine assidentes, Purpuratos Principes operam contraxisse, putandum est, ut in eorum Consultationibus audiendis multarum per plures annos horarum molestiam vorassent, quorum iudicia naufragis fecissent, & iniquum in partem disputantium alteram animum comprobassent? An forte non erant ii ab eo, quod indignè occupassent, munere submovendi, ne fame suæ iacturam facerent, qui hanc sibi contumeliam inferri, tam iniqua agendi ratione meruissent? Aut forte non alios Roma, non alios Christianus Orbis aiebat Theologos, qui iis suffici commode possent? Apage nugæ.

Hinc pariter videas, quæ sit Francisco Annato, Societatis Jesu, præstanda fides, dum de gravi supercillo, quasi rerum istarum scientificissimus esset, audacter pronuntiat. (2) *Liquet, Congregationes hujusmodi nequaquam habitas more iudiciorum; ita ut post causam, utrinque disceptatam, Censores convenirent cum Pontifice, singulorumque suffragia inquirentur.* Immo ridendus magis, qui

in hisce rebus adeo peregrinus fuit, & hospes, ut rem, sole clariorem, abutivo unius Perro-nii silentii argumento oppugnare aggressus sit: quod feliciter ille rerum gestarum seriem Henrico IV. sæpius scribens, nihil de latis Jureiuramentis scripserit. Sic enim ratiocinari solet, *Gens mentem pasta chinensis.* Errorum Sodalis Iri Ripaldæ lectione emendasset, si eum consulere libuisset tom. 2. disp. 113. sect. 12. num. 124. *Finita, inquit, disputatione egrediebantur foras Generales cum sociis, continuoque in eadem Congregatione Censores coram Pontifice, & Cardinalibus de re utrinque discepta confabant, scribente Censuram Secretario, & sub gravibus penis secretum omnibus præcipiente Pontifice. At post Congregationem septimam usque ad ultimam una cum disputatione Theologorum disceptabatur tota Congregatio, dieque proxime sequenti Censores designati ad Censuram rei, die precedenti examinata, conveniebant.*

Primaria ab Clemente VIII. posita lex illa fuit, ut cuncta ad S. Augustini mentem exigentur: quod is, in eliquandis Divinæ Gratia Controversiis, Conciliorum ingenium omni retro ætate sit habitus; caterorumque Patrum exaggeratum altius nomen obtriverit, ac eluti minora sidera obscuravit. *Quamvis, inquit SS. Prolusione Disputationum, nemini, nisi Deo rationem reddere debeam mearum actionum, dicam tamen in præsentiarum rationes, propter quas adstringere statim totam hanc Disputationem ad normam Doctrinæ Augustini de Gratia. Prima est, quod si, teste B. Prospero fere initio Libri contra Callotem, viginti annorum spatio Ecclesiæ Catholicae acies ita dimicavit pro Gratia contra Pelagianos, ut tandem, Augustino Duce, vicerit, oportet etiam, ut in causa consimili eundem Ducem agnoscamus, & sequamur.* Secunda est, quod idem Sanctus nihil videtur præterisse eorum, que ad presentes controversias pertinent. Tertia tandem ratio est, quod cum multi Pontifices, & Predecessores nostri Doctrinæ S. Augustini tam acres fuerint assertores, ac vindices, ut quasi hereditario jure eam in Ecclesiâ relinqui voluerint, equum non est, ut patiar, illam hæc hereditate privari.

Ac re ipsa quidem Augustini ingenium, uti demissum celo solem, Ecclesiæ Catholica, & Apostolica Sedes nunquam non coluit, ac tantum non adoravit: fatigatque omnium Pontificum linguas, consumptaque veneratione, omni præconio majus semper agnovit.

Sic Innocentius I., quo sedente Pelagiana hæresis caput extulit, uno, eodemque iudicio nascentem errorem proscriptit, ac primas Augustini in eo confutando lucubraciones consecravit. Cum enim Patres Concilii Carthaginensis, variis Canonibus ex S. Augustini libris passim expressis, veritatem Catholicam asseruissent, extremum iis sigillum posuit Sanctissimus Pontifex; remque ita cumulate confectam pronuntiavit, ut nihil illi addendum superesset. *Satis, inquit, (3) vestris moribus, sic abundantibus vestra legis exemplis, probatur, esse responsum; nec quidquam superesse duximus, quod dicamus; cum nihil prætermisum a vobis, nihil constet esse suppressum, quo illi refutati, & penitus cognoscantur esse convicti. Ideoque a nobis testimonia nulla ponuntur, quia & his plena Relatio est, & satis constat, tot Doctissimos Sacerdotes cuncta dixisse; nec decet credere, vos aliquid, quod ad causam possit proficere, præterisse.* Quibus non abimilia rescriptis Milevitane Synodi Patribus; quorum Epistolam, Sanctitati Sæcæ datam, adversus Pelagi, & Celestii primos impetus, totius Sacri Ordinis nomine exaraverat idem Augusti-

(1) *Exstat in Coll. Lemosi.* (2) *Promisit Sua Majestas, curaturam se, ut Definitio Apostolica exacte, ac in rigore observetur per omnes suas Regiones, Regna, ac Ditionem; ac etiam, si necesse fuerit, arma sumpturam, ac proprio signatam ense contra rebelles.*

(1) *Quæst. 1. Cap. 2.* (2) *Disp. 4. de Scien. Med.* (3) *Epist. 91. inter Aug. man. 181.*

stinus. (1) Multis hinc equidem, ad destruendum tale Pelagii magisterium, uti possemus exemplis; nisi sciremus, Sanctitatem vestram ad plenum Scripturas omnes callere Divinas: presertim cum vestra Relatio talibus, ac tantis testimoniis sit referta, ut his solis valeat presens dogma rescindi; opusque non esse reconditis, cum & iis, que facile vobis occurrerent posuistis, nec audeant obviare, nec possint. Ac tandem ad Augustini Epistolas, quatuor Collegarum, Aurelii scilicet, Alipii, Evodii, & Possidii subscriptione munitas, rescribens, has Catholicæ Fidei plenas censet, & magnopere celebrat.

(1) Fraternitatis vestre literas, plenas fidei, & totaque Religioni Catholice vigore firmatas, a duobus missis Conciliis per Fratrem, & Coepiscopum nostrum Julium, pergrato suscepimus animo; quod earum tenor, omniisque contextio est in consideratione quotidiana Gratia Dei; & in eorum correctione, qui contra sentiunt, integra ratione consistit: ut & illis omnem tollere possit errorem, & idoneum, dato quovis nostre legis exemplo, quem sequi debeant dignum possint præbere Doctorem. . . . Nam hoc loco latius de lege disputare, velut coram posito, repugnantique Pelagio, necessarium esse non duximus: cum vobiscum, totam scientiam, parique nobiscum consensione gaudenibus, colloquamur.

Neque vero communes duntaxat Epistolas, ab Augustino, suo, & Collegarum nomine missas, probasse censendus est Innocentius; verum etiam privatas, ab eo datas, ac ipsum etiam Librum De Natura, & Gratia, una cum cæteris causæ Instrumentis transmissum, Apostolicæ Sedis suffragio confirmasse. Cujus rei locupletissimam fidem facit Augustinus ipse, Epistola 106. ad Paulinum: Scripsimus etiam, inquit, ad Beate Memorie Patris Innocentium, præter Conciliorum Relationes, literas familiares, ubi de ipsa causa aliquando divinus egimus. Ad omnia nobis illa rescriptis eadem modo, quo fas erat, & oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem. Tamen vel id unum S. Augustini gloriæ conferenda plus faxit esse, quod eorum Synodorum Canones extraxit veluti sigillo muniverint Innocentius, ac tum postea Zozimus, quorum ille os fuerat, & ingenium; eundemque, uti primum contra Pelagianos Christiani exercitus Imperatorem, venerati sint.

Non absimiliter Bonifacius, Innocentio, ac Zozimo proxime succedens, Augustinum non coluit modo, sed uti Ecclesiæ Oraculum habuit, a quo etiam adversus Divinæ Gratia hostes responsa peteret. S. memoria Papa Bonifacius, inquit D. Prosper contra Collatorem, cap. 21. cum esset doctissimus, tamen adversus libros Pelagianorum B. Augustini Episcopi responsa poscebat. Pelagianorum siquidem scripta, Romam delata, in Africam Augustino refellenda transmissit; quorum & refutationem, in quatuor libros distributam, ad Bonifacium direxit Sanctissimus Doctor, ejusdem suffragio munitendam. Unde consequens existimavit S. Prudentius, Tricassinus Episcopus, in Epistola ad Hinemarum, & Pardulum, ut nullius erroris calumnia patere possit Augustini Doctrina, ex quo tam illustri Apostolicæ Sedis suffragatione communita est: Si eam Doctrinam, inquit ille, adversari Fidei Orthodoxæ in quoquam conspiceret, nequam eam Romane Ecclesiæ Antistes, venerabilis Innocentius, cum totius Orbis Episcopis suscepisset: neque Bonifacius, ejusdem Apostolicæ Sedis Præsul, Epistolas Pelagianorum sibi delatas, ei ad respondendum misisset, aut Responsum ejus, quatuor libris edidit, probabiliter, & honorabiliter suscepisset. Quin & Suares Proleg. 6. De Gratia, cap. 1. n. 6. Bonifacium ipsum quatuor illis libris, ad-

versus Pelagianorum Epistolas elaboratis, Augustini ore locutum, ait, ut non minus Romæ Pontifex, quam Episcopus Hipponeus, contra Julianum Pelagianum deerteat putandus sit. Bonifacius, inquit ille, constanter Juliano resistit, & per Augustinum, ut sic dicam, contra illum scriptis: adeo ut jure merito S. Augustinus dicatur esse os, & lingua Ecclesiæ; cum per eam Ecclesiæ, & Summi Pontificis locuti sint.

Longe luculentius Cælestinus I., Augustino humanis rebus exempto, atque ad superos vocato, epinicium cecinit; doctrinam ejus elogio, ære digno, celebravit, illiusque calumniatores, datis ad Gallicanos Episcopos efficacissimis Epistolis, reprehendit, ac fudit: monitus scilicet ab Prospero, & Hilario, qui Romam idcirco fe conulerant, nonnullos Gallie Presbyteros in controversiam vocare, que a Sancto Augustino scripta essent, & a Romanis Pontificibus, Innocentio, Zozimo, & Bonifacio confirmata, ac Synodorum Decretis stabilita; magnificentissimo Sanctissimi Doctoris encomio peulantiunt obreclatorum audaciam fregit, æternæque silentio damnavit. Augustinum, Sanctæ recordationis virum, pro vita sua, atque meritis, in nostra communiõne semper habuimus, nec unquam huic sinistra suspitionis rumor aspersit: quem tantæ scientiæ olim fuisse, meminimus, ut inter Magistros optimos etiam ante a meo Decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in communi senserunt, utpote, qui ubique cunctis & amoris fuerit, & honoris. Unde resistamus talibus, quos male crescere videremus. Nefas est, hoc pati religiosis animas, quarum affluentiæ, quia membra nostra sunt, nos quoque convenit macerari, quavis inanes hos beatitudo promissa, quicumque probantur, persecutionem propter justitiam sustinere. Et paucis interjectis (si tamen altera illa Epistola pars Cælestini re vera est, ut erudit nonnulli opinantur.) Quia nonnulli, qui Catholico nomine gloriantur, in damnatis hæreticorum sensibus, seu pravitate, seu malitia, demorantes, piissimis Disputatoribus obviare presumunt. (Augustino scilicet, ejusque Discipulis) & cum Pelagium, atque Cælestinum anathematizare non dubitent; Magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum exceßerint, obloquantur &c.

Cæterum cum nonnulli, quibus stomacho erat solemnis adeo Augustinianæ Doctrinæ commendatio, subleste reponerent, Priores duntaxat illius libros, non itidem posteriores, approbatos esse, quod eorum titulus hac in Epistola Cælestini non fuisset expressus; malignam hanc calumniantium interpretationem, data opor, confutavit D. Prosper lib. contra Collatorem, cap. 21. omnesque Sanctissimi Doctoris libros æquo jure probatos ostendit; quod idem omnibus esset doctrine spiritus, eademque predicationis forma: ac propterea nullus esse, contra istam clarissimæ laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem, maligne interpretationis murrum emittare; & perspicue, sincerissimæque sententiæ nubem oblique ambiguitatis ostendere.

Si quid tamen huic Cælestini Oraculo obscuritatis inesse, ne extremos Augustini libros videretur approbasse, nebulas omnes discussit Hormisdas PP. in Epistola ad Possidorem. Cum etenim universus Oriens ob Fauti Rhegenis Episcopi libros in partes discussos esset, quidve de Divinæ Gratia controversiis Ecclesiæ Romana sentiret, a quibusdam ambigeretur; rescriptis Sacrorum Præses, id ex Augustini libris, atque iis maxime, quos sub vitæ finem adornavit, esse cognoscendum, ipsamque Augustini doctrinam, hac ultima divini ingenii fectura exartam, Ecclesiæ, veluti

ti dotem, ac patrimonium, declaravit. De Libero Arbitrio, & Gratia Dei quid Romana, hoc est Catholica, sequatur, & servet Ecclesiæ, in variis libris B. Augustini, & maxime ad Prosperum, & Hilarium, abunde cognosci potest. Quo singulari præconio permoti Africani Præfules, in exilium ab impio Rege pulsi, eosdem illis Sanctissimi Doctoris libros præ cæteris consulendos, pronunciarunt Epistola sua Synodica; quod iis maxime Catholicam Fidem adversus novas Massiliensium cavillationes asseruisset. Præ omnibus studium gerite, libros S. Augustini, quos ad Prosperum, & Hilarium scripsit, memoratis patribus legendos ingerere; quorum mentionem beate memorie Hormisdas, Sedis Apostolicæ gloriosus Antistes, in Epistola, quam consulenti se Sancto Fratri, Consecratori nostro, rescriptis, cum magno præconio Catholice laudis inseruit.

Suffragatur, ac novo quidem gloriæ cumulo, Felix IV., qui varia Augustiniana doctrina capitâ, ex plerisque, ac præsertim ex ultimis libris delibata, in Canones transtulit. Lites quippe de Divinæ Gratia Auxiliis, queis per annos plus, minus centum Ecclesiæ Gallicana jactata fuerat, suprema Auctoritate compositurus, sententias viginti quinque, ex Augustini lucubrationibus excerptas, ad S. Cæsarium Arelatensem transtulit, in Canones transferendas, & ab universis Ecclesiæ Præfulis subferendas: Lique id ex Actis secundæ Synodi Arausicanæ, cujus Canones plerisque, a Felice IV. transmissos, ex Augustini sententiis constat, nemo non videt. Qua de re lege, si vacat, Binium, & Sirmundum in Notis, Baronium in Appendice ad tomum 10. Analeum, Bellarminum lib. 2. De Gratia, & Libro Arbitrio cap. 11. Cardinalem de Noris lib. 2. Historiæ Pelag. cap. 23. Notanda vero præ cæteris Bellarmini verba, queis gratuite Prædestinationis Sæclatorum hac occasione potissimum carpit. Post illa, inquit, Cælestini tempora, cum nondum facta illa Gallorum quiesceret, S. Leo Pontifex (immo verus Felix IV.) misit ad Concilium Arausicanum certa Capitula de Gratia, & Libero Arbitrio, ex libris S. Augustini verbatim decrepta, que voluit ab Episcopis illis recipi, atque subscribi, ut etiam factum est. Porro in illis Capitulis continentur omnia fundamenta sententiæ de Prædestinatione gratuita, ut non possit ullus Prædestinationem negare, nisi velit illis Capitulis contraire.

Felici IV. in conferenda S. Augustini sententia accinuit Bonifacius II. & Joannes II. ille quidem Epistola, ac Cæsarium Arelatensem data, qua Synodi Arausicanæ Decreta confirmavit: Atque ideo, inquit, cum de hac re multa Patres, & præ cæteris beate recordationis Augustinus Episcopus, sed & majores nostri, Apostolicæ Sedis Antistites, ita rationes probentur disseruisse latissime, ut nulli ulterius deberet esse ambiguum, fidem quoque ipsam nobis venite de Gratia; superaddendum duximus responsione multiplici. Ille Epistola 3. ad Senatores, Sanctus Augustinus, cujus doctrinam, secundum Prædecessorum nostrorum statuta, Romana sequitur, & servat Ecclesiæ &c. Quo suffragio nedum Augustini doctrinam approbat Joannes II., verum etiam que antea retulimus, Summorum Pontificum de illius auctoritate Decreta, certissima esse pronunciat. Quid porro ad S. Augustini gloriam luculentius dici potest, quam quod doctrinam ejus, secundum Summorum Pontificum statuta, Romana sequatur, & servet Ecclesiæ? Ad que sane si animos vel obiter intendisset Launojus, calumum comprehensisset, nec Sanctissimi Doctoris placita de Gratia, & Prædestinatione, secutus ab ejus obitu sæculis, despecta fuisse in Ecclesiæ, atque prescripta, commentus esset in posthuma Pseudo-Traditione, que nuper, obstetricante malo genio, lu-

cem, hæctenus invictam, asperxit; & a Clemente XI., uti impia, atque blasphemæ, damnata est die 28. Januarii 1704.

Suffragatur & alii Romanæ Sedis Antistites, quos excubare longum esset: Gregorius Magnus Epistola ad Innocentium Episcopum; Joannes XXII. Constitutione 2. Urbanus V. in diplomate Translationis S. Thomæ Aquinatis, cujus potissimum laudem in eo positam dicit, quod Augustini vestigia infecutus sit; ac demum Martinus V. in altero, de transferendo S. Monicæ Corpore, Diplomate Pontificio.

Tot ergo Romanorum Pontificum exempla secutus Clemens VIII. Augustinum lydium lapidem esse jussit, ad quem in solemnibus hinc Comitibus vera de Divinis Auxiliis sententia probaretur: nemini cuiquam licitum arbitratur, ab ea doctrina defectere, quem tot supremi Hierarchæ, uti sacram Sponsam dotem, contrinuatæ serie exceperant, custodierant, consecraverant.

Sed ecce eximiam illam Doctorem Sanctissimi gloriam invidet Franciscus Annatus libro 8. sui Augustini vindicati, cap. 4. mutansque quadrata rotundis Augustino palam insultat, quasi non tam Molina suus, quam ipse Gratia vindex, coram Clemente VIII. ad examen vocatus esset, ac velut in ordinem missus. Nam quod obijcere solent, inquit ille, Clementem VIII. jussisse tempore Disputationum de Auxiliis, ut Augustini potissimum sententia inquiretur, facile solvitur. Neque enim id præcepit eo præjudicio, quasi nefas duceret, ulla in re dissentire ab Augustino, repudiata etiam Cælestini distinctione illa inter Propositiones, quas esset, & quas non esset opus adstruere. Neque idem est velle, ut disputantes Augustini sententiam inquirent, & velle omnino, ut in omnibus eam sequantur. Non itaque, si Annato credimus, sed hoc in Judicio Arbitri Augustini & Judex, sed reus causam dixit, manumque ferula supposuit. Heu quam ima summis atra dies miscuit! Ille, ille Conciliorum olim os, ingeniumque, sua nunc turpiter sede dejectus, causam coram Pontifice suppliciter dicit! Proh Superi, mites animos! Num hæc Clementis VIII. mens fuerit, dicant, qui præmiis publicis Disputationibus Augustinianæ Doctrinæ commendationem, de qua paulo ante dicebamus, vel obiter legerint. Ut quid enim totam hanc dispositionem ad normam Doctrinæ Augustini de Gratia adstringere statuit? Ut quid Ecclesiæ Augustini doctrinam, hereditario jure accepta, privari noluit; si (quod novus criminator obtendit) id non illi erat in animo, ut agitando Controverfite Judices Augustini sententiam in omnibus sequerentur? Annati caspitationem castigat Leonardus Sherlogus, alter ejusdem Scholæ Magister, sub Pauli Leonardi latæ delictens, in Apologia pro Scientia-Media Part. 2. num. 39. In Disputationibus Romæ agitatis coram Sanctitate Clementis VIII., & Pauli V. sæpe, & diligenter interrogatum est de mente S. Augustini, quod eo speciatim in genere questionum exploratum esset, ab iis optima proferri, quibus tantus Gratia Hyperasistes faceret. Quare anno 1602. tractatum: Quis majores vires ad bonum Libero Arbitrio tribuat, an Augustinus, an Molina? Continetur ille Articulus septem Questionibus, in quibus singulis de mente Augustini disceptatur cum Molina &c. Ex quibus liquet, altercationis peno omnem scopum fuisse, quidnam Augustinus sentiret.

At, inquit importunus Augustiniani nominis ofor: Ergone Cælestini distinctionem repudiavit Clemens VIII., qua videlicet, post statuta certa fidei capita, Augustinianæ doctrinæ summam complexa, atque ex variis Romanorum Pontificum, ac Synodorum sanctionibus delibata, cætera omnia fidelium opinionationi permisit? Profundiores vero, inquit

(1) Epist. 93. num. 182. (2) Epist. 96. num. 183.

inquit Cælestinus ad calcem Epistolæ laudatæ ad Gallie Præsules, *difficilioresque partes incurventium Questionum, quas laus pertractavit, qui hæreticis resisterent, sicut non audentis contemnere, ita non necesse habebimus destruere.* Absit, ut Clementem cum Cælestino committamus; distinctionemve, ab uno positam, ab altero rescissam existimemus. Verum hæc duo Annato probanda erant, ut quidpiam sua illa latinia conficeret. Primum, certa Fidei Capita, Epistolæ Cælestini adnexa, ultimamque illam de profundioribus Questionibus clausulam, Cælestini ipsius esse: Alterum, Controversias, in Auxiliorum Congregatione ventilatas, a certis illis Fidei Capitibus longe esse distitas, & incurventium Questionum loco numerandas. Primum etenim diffidentur haud levibus argumentis bene multi: duo in primis Purpurati Senatus lumina, Cæsar Baronius in Annalibus ad annum 431., & Henricus de Noris in Vindiciis cap. 7. Laurentius Surius in Historia Sacra, Gerardus Vossius lib. 1. Historia Pelagiana cap. 20. Curatores Editionis Conciliorum, Colonienis, ac Sixtinæ; Quenellius in Notis criticis ad Opera Sancti Leonis Magni: quin & ipsi etiam Societatis Professores, Franciscus Suares Prolog. 6. de Gratia, cap. 1. num. 11. Jacobus Sironius tomo 1. Conciliorum Galliarum: Quibus omnibus visum est, Cælestini litteras in hæc verba definire: (1) *Domini incolentes vos custodiat, Fratres charissimi: cætera vero Capitula, Epistolæ adnexa, vel a Prospero, vel ab altero quopiam fuisse addita. Alterum, quod ab Annato festive ponitur, id ipsum est, quod in ea prægavi lite in controversiam vocabatur: Annon videlicet Molinianæ doctrinæ paradoxa, in hæreseos suspicionem adducta, contra fidei capita re ipsa peccarent; & an incurventium Questionum loco, de quibus pro arbitrio sentire liceat, haberi possent?*

Quamquam itaque adnexa Capitula, adeoque ipsam quoque Clausulam, in controversiam adductam, Cælestini esse, fateremur, (quod vixi pariter eruditi persuasum habent) nihil ab eo alienum statuisse Clemens VIII., dum pendentem litem ad Augustini mentem expendi, ac definire voluit: sed Cælestini ipsius, cæterorumque Romanorum Pontificum vestigia secutus, non esse incurventium Questionibus, opinione liberis, accensenda censuit, sed Fidei Capitibus annumeranda, quæcunque Augustinus, data opera, certo, & incunctanter, velut Ecclesiæ fidem, statuisse, ac propugnasset.

Immo vero omnium cachinnis, ut mitius loquar, excipiendi veniunt, qui pauca illa Cælestini Epistolæ adnexa Fidei Capitula, ex Augustini Libris dehortata, uti Fidei Dogmata de Divinis Auxiliis duntaxat accipiunt; cætera vero universa, ab Augustino contra Pelagianos, de industria licet, ac firmiter propugnata, uti liberis opinionibus excipiunt, quas uti contemnere non est ausus Ecclesiæ Pontifex, ita necesse non habuit adstruere. Egregios sane Pontificæ mentis Interpretes! Ut quid ergo, si sic est, vocato ad superos Cælestino, Gelasius in Epistola ad Episcopos per Picenum constitutos, quatuor ejusdem Augustini sententias inculcat, & sacris Dogmatibus accenset? Quorundam Felix IV., uti paulo antea notabamus, Canones viginti quinque ex Augustini libris digressit, & ad Cæsarium Arelatensem Episcopum transmisit, ab Ecclesiæ Gallicanæ Præsulibus subscribendos? Itane se gessissent supremi Ecclesiæ Hæreticæ, si, pauculis illis exceptis Cælestini Capitulis, reliqua Augustini dogmata inter adiphora numerassent?

Iis itaque Articulis, Cælestini Epistolæ adnexis, veluti principiis, ac primigeniis fontibus, stat Catholica Fidei summa, doctrinæque, ab Augustino contra Pelagianos assertæ, veluti basis; unde alia ad fidem pariter attentata dogmata derivantur. Unde & Cælestinus declarat, velle se ea suscipi, non solum quæ illis Articulis expressa sunt, verum etiam, quæ sunt iisdem adnexa. *Quod si quis, inquit, non nimium est contentiosus, agnoscat omnium disputationum connexionem ex hac subditarum auctoritatum brevitate pendere, Capitulum scilicet, quæ subjungit, Quare Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Gratia, & Lib. Arb. cap. 11. ex hac ipsa Cælestini Epistola colligit, Prædestinationem gratuitam defendi a Catholicis oportere, non uti opinione liberam, sed uti Ecclesiæ Catholicæ fidem; licet expresse, atque distincte in dictis Capitibus minime recenseatur; ob id videlicet inter alia, quod ex iis derivetur facile, & ab Augustino, cujus doctrina tota passim Epistola commendatur, inter Fidei dogmata recenseatur.*

Et certe, nisi totius Epistolæ contextus pervertatur, fieri omnino nequit, ut Cælestinus aliquas Augustini sententias, ab eodem, veluti Catholica Fidei dogmata, adversus Pelagianos, & Massilienses constanter assertas, ad sententias opinione liberarum amandaret, & a suis statutis articulis distitas pronuntiaret.

Primo enim, Semipelagianorum audaciam reprehendit Sanctissimus Pontifex, quod Augustinum debitos disputationis limites prætergressum, effutirent: *Magistris nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur.* Non itaque necessarium modum excessit, iudice Cælestino, immo nullus eum sinistra suspitionis rumor aspersit. Excessisset porro maxime Augustinus, & suspicione admodum sinistra laborasset, si quid, velut Ecclesiæ dogma, posuisset, quod Ecclesiæ dogma re ipsa non esset, & a quo procul abire liberum foret. Eo momento, gratuita Prædestinationis impugnatores exagitat Bellarminus loco paulo ante laudato: *Deinde Cælestinus, inquit Purpuratus Theologus, in ea Epistola, cap. 2. ita laudat Augustinum, ut dicat, eum semper habitum a Romana Ecclesiæ pro Magistro optimo, & nunquam eum fuisse saltem rumore sinistra suspitionis aspersum. At quomodo ista dicere potuisset Cælestinus, si Augustinus falso scripsisset, fidem Prædestinationis in Ecclesiæ Catholica semper fuisse; & contra eam neminem, nisi errando, disputare potuisse? Nam, si Augustini de Prædestinatione sententia falsa esset, non posset ident Augustinus ab ingenti temeritate defendi: quippe qui non solum tam acriter pro falsitate certasset, sed etiam eam pro Fide Catholica venditare ausus esset. Quomodo igitur Cælestinus eos, qui pro hac ipsa re Augustinum temeritatis, & erroris damnabant, ita reprehendit, ut dicat, nefas esse talia audire, & Augustinum pro Magistro optimo semper habitum, nec unquam fuisse saltem rumore sinistra suspitionis aspersum; nisi hanc ipsam de Prædestinatione doctrinam, secundum Augustini sententiam, veram esse, credidisset?*

Rursus, si profundiorum Questionum nomine, quas necesse non erat adstruere, sententia nonnullæ, ab Augustino pro certissimis contra Pelagianos, & Massilienses assertæ, intelligerentur; cur id adversus Augustini doctrinam nunquam obsecraret Massilienses? Cur ad ea excipienda, quæ sibi in Sancto Doctore displicebant, hæc Cælestini Epistolæ clausula nusquam usi inveniuntur? præcipue cum omnia molirentur, ut hujusce Judicii Pontificii vim effugerent. Monet equidem D. Prosper, objecisse illos, priores duntaxat Augustini libros

## ARTICULUS SECUNDUS.

*An in libris S. Augustini legatur, Constitutam esse a Deo legem infallibilem cum Christo Filio suo, ut, quoties homo solis natura viribus fecerit totum, quod in se est, Deus illi tribuat Gratiam, vel id sit de mente S. Augustini?*

## SECUNDUM SCRIPTUM CLEMENTIS VIII.

Die 20. Martii absoluta prima Congregatione, de consilio DD. Consultorum judicavit Clemens VIII., laus patere propositum Disputationis argumentum, nec facile Molinianæ doctrinæ difficultates eliquari posse, nisi circa præmissis Articulis, speciales quadam Molina propositiones notarentur, de quibus minutim in futuris Congregationibus quaeretur, an cum Augustini doctrina conveniret? Ideo die 20. sequens Referendum per Secretarios Prædicatores, & Jesuitas tradidit, iussit.

Patribus Generalibus, Ord. Prædicatorum, & Societatis Jesu, de ordine expresso S. D. N. Papæ Clementis VIII. jubetur, ut sequentes propositiones Molina conferant cum doctrina S. Augustini, & scripso consignent loca omnia ejusdem S. Doctoris, ex quibus illas vel impugnari, vel defendi posse, putabunt.

## Circa Articulum primum.

Quis majores vires ad bonum Libero Arbitrio tribuat; an S. Augustinus, an Molina?

## Prima Propositio Molinae cum S. Augustino conferenda.

Cum solo concursu generali Dei, absque alio dono, vel auxilio Gratia, potest homo efficere opus bonum morale, quod, fini naturali hominis accommodatum, atque comparatione illius, sit vere bonum, & virtutis opus: non tamen quod fini supernaturali sit accommodatum, quodque, comparatione illius, bonum simpliciter, ac virtutis opus dici queat.

Ita habet qu. 14. a. 13. disp. 5. & in disput. 19. m. 2. §. Ult. ait: Auctores hujus sententia (videlicet, quod possit homo resistere cullibet particulari tentationi sine gratia Dei) confesquenter affirmant, nullum esse in singulari opus bonum morale, mere naturale, quod homo natura lapsa cum solo concursu Dei generali non possit efficere: id quod Sotus, & Ruardus expresse asserunt. Etenim, si difficultimum, quale est mortem fubire, ne mendacium proferat, Anselmi sententia potest præstare, majori cum ratione poterit cætera efficere, in quibus minor longe est difficultas.

## Secunda Propositio Molinae.

Propositis, & explicatis his, quæ credenda sunt, adhibitis insuper argumentis, quæ afferri solent, ut homines merito sibi persuadeant, ea revelata esse a Deo, & iusta credi, & denique accedente externa vocatione ad fidem per Concionatores, aliosque Ecclesiæ Ministros; in facultate Liberi Arbitrii est, cum solo concursu generali Dei, rebus propositis assentiri, tanquam a Deo revelatis; actu tamen, qui sit mere naturalis, quippe ex parte intellectus non sit satis ad justificationem. Disp. 7. §. 5. & sequ.

Et disput. 8. §. Ex dictis, inquit: Neque enim

eo iudicio probatos esse; at nusquam legimus, venisse illis in mentem, ut dicerent, nonnullas ab Summo Pontifice sententias exceptas esse, quas ille quidem, uti certas, statuisset, & tamen adstruere non esset opus. Quo responso longe facili Pontificia approbationis auctoritatem imminuissent, & S. Augustini gloriam non mediocriter decurassent.

Accedit, Summos Pontifices, Cælestini Successores, S. Augustini Doctrinam de Gratia universim probasse, commendasse, consecrassent, quavis distinctione posthabita. Quod sane minus prudenter gestum videri posset, si quas in Augustino sententias reperissent, contra hæreticos de industria propugnatas, uti Catholica Fidei capita, a quibus dissentire liberum esset.

Equæ ergo, inquit, sunt illa profundiores, difficilioresque partes incurventium Questionum, quas uti Cælestinus contemnere non est ausus, ita necesse non habuit adstruere? Sunt illa dubio procul Questiones profundiores, difficilioresque obsecravit rerum, & incertitudine veritatis, atque sententia, quæ de illis ferri certo non possit: Questiones, inquam, non per sese, ac directe ad Gratia defensionem, controversiasque Pelagianorum, ac Massiliensium attinentes; sed ex occasione tantum ab Augustino tractatæ, quæ incurventes a Cælestino vocantur: Questiones tandem, quas laus, ut loquitur idem Pontifex, pertractat, & multis, variisque rationibus agitatur Augustinus; de illis tamen vix quidquam definiens: quales sunt hæc: Quomodo traducatur peccatum Originale? Quæ sit concupiscentia natura? Quænam anima origo? atque id genus. Has sicut non est ausus contemnere Summus Pontifex, ita nec necesse habuit adstruere; uti nec illa adstruxerat Sanctissimus Doctor. (1) At de his plenus lib. 4. cap. 4. & 5.

Cæterum dum universam de Divinis Auxiliis tractationem ad Augustini mentem exigi, iussit Clemens VIII., non ideo cæteros Ecclesiæ Patres missos voluit, aut Summorum Pontificum, ac Synodorum Præsertim negligi, passus est. Immo & hæc omnia, ad Controversia equationem, sæpius advocantur. At Augustini nomine Patres ejus doctrinæ vindices, & hæreticos, Pontifices ejusdem approbatores, Synodos demum, quæ illius & verba, & sensus in Canones transfuderunt, intellexit eruditissimus Pontifex, fontem unum indignitatis, unde sequentium sæculorum Patres, uti minores rivuli, derivarunt, cujus aquas salutare Pontifices, & sacra Synodi consecrarunt.

## CAPUT NONUM.

Argumenta Disputationum quinti Examinis, a CLEMENTE VIII., pro nata difficultate, identidem designata.

## PRIMUM SCRIPTUM CLEMENTIS VIII.

Sen primum Disputationis Argumentum ab ipso propositum.

Die 14. Februarii 1602. Consultoribus, atque Ordinum Generalibus sequentes Articulis transmisit pro futura disputationis argumenta.

## ARTICULUS PRIMUS.

Quis majores vires ad bonum Libero Arbitrio tribuat; an S. Augustinus, an Molina?

Serry Tom. I.

(1) De quibus Augustinus ipse lib. De Dono Perseverant. c. 11. inquit *Operosissimas Questiones incipientes enucleate solvere non potui, ne nimium longum opus esset.*

(1) Philippus Labbeus in Notis.

enim ob eam causam necessario ponendus est (habitus supernaturalis) ut intellectus facilius assentiatur contra intellectus duritiam, & discrete contra intellectus errores; neque enim ut actus assentiendi sit certus, & firmus certitudine, & firmitate ex parte credentis; Hæreticus namque potest firmiter illo modo assentiri non solum articulis Fidei, sed etiam suis erroribus, quam multi fidelium assentiantur per fidem infusam veritatibus Catholicis: sed ideo necessarium constituendus est, quoniam ad illos actus eliciendos, ut fini supernaturali sunt accommodati, & quales ad salutem sunt necessarii &c.

Tertia Propositio Molinae.

Cum quis edoctus sit supernaturalem assensum ad salutem necessarium, viribus naturalibus potest optare, ita credere, atque etiam conari ex dono, & auxilio supernaturali assentiri: denique potest petere, ut auxilium illud sibi donetur, & ad illud recipiendum fatigare se disponere. Disp. 9. hæc omnia supponit. Expendatur etiam disp. 42. §. Quod ad primum, & disp. 43. §. Ex dictis patet.

Quarta Propositio Molinae.

Licet initium Fidei, quæ radix est, & fundamentum justificationis, a Deo sit, nullis præcedentibus nostris meritis, sed potius demeritis; reliquæque, quæ initium Fidei sequuntur, ordinæque sunt supernaturalis, a Deo sint, nihilque proinde habeat justus, quo a peccatore, imo ab infideli discernatur, de quo ita gloriari possit, quasi illud non acceperit; atque adeo Deus auctor sit vitæ nostræ spiritualis, ita etiam incrementi ipsius: eo tamen modo sua sapientia leges, quibus vitam spiritualem, atque ejus incrementum conferret, accommodavit, ut, sicut per Gratiam hominis naturam ex se liberam perficeret, ita etiam & ante receptionem Gratiae & in ipsa Gratia receptione, & postea in augmento illius, suum locum Libero relinqueret Arbitrio; quatenus ita ipse esset auctor omnium honorum, omniâque ei accepta referrentur, ut nihilominus Libero Arbitrio propria industria, & laus fervaret. Disp. 9. §. Ut quæ.

Quinta Propositio Molinae.

Negari non potest, compluribus esse Scholasticorum sententiam, Liberum Arbitrium nostrum cum solo concursu generali Dei elicere posse non solum actum attritionis naturalem, id est dolorem de peccatis ex Dei timore, cum proposito amplius non peccandi lethaliter, sed etiam actum contritionis naturalem, qui idem propositum non peccandi amplius lethaliter includat. Disp. 44. mem. 1. in princ. & §. Ratio vero.

Sexta Propositio Molinae.

Homo solis viribus naturalibus & concursu generali Dei elicere potest actum absolutum mere naturalem dilectionis Dei super omnia, qui ad justificationem nequaquam sufficit; & propositum absolutum servandi in genere præcepta omnia, præsertim quando occasiones, & difficultates omnes absunt; quod ad attritionem, & contritionem, quoad substantiam actus, sit sufficiens. Disp. 14. mem. 2. §. Duo quedam, cum, §. seq. & §. nono disputationis 15.

Septima Propositio Molinae.

An interim, dum iudicium rationis non absorbetur, maneat in Libero Arbitrio, cum solo concursu generali Dei, libertas ad non consentiendum in quocumque temporis momento

cuiuscumque gravi tentationis, & ad superandam quamcumque magnam difficultatem, quam præservanda in eo solum instanti lege naturali, necesse sit vincere; etiam si ea de causa mors sit toleranda, ita videlicet, ut, si consuetat, peccet, eo quod, secluso quocumque alio maiori auxilio, in potestate ipsius, tamen non sine ingenti difficultate, positum sit, non transgredi hanc legem. Disp. 19. mem. 1. & in 2. partem affirmantem ostendit, eamque amplectitur ut patet ex mem. 6. §. Forte mirabitur, quæ addidit in Editione Antwerpensi.

Circa secundum Articulum: An in libris S. Augustini legatur, constitutum esse a Deo legem infallibilem cum Christo Filio suo, ut quoties homo solis naturæ viribus fecerit totum, quod in se est, Deus illi tribuat Gratiam? vel id sit ex mente S. Aug.?

Circa istum Articulum expendantur sequentes propositiones.

Prima Propositio Molinae.

Quotiescumque Liberum Arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præstare est ad conandum totum id, quod ex se potest, tam circa ea, quæ fides habet, ascendenda, & amplectenda, quam circa dolorem de peccatis ad justificationem; a Deo conferri Gratiam prævenientem, auxiliare quibus id faciat, ut oportet ad salutem: non quidem quasi eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullave ratione ea promeratur, sed quoniam id obtinuit nobis Christus ob sua merita; atque inter leges, quas tam ipse, quam Pater Æternus statuerunt, de auxiliis, & donis, quæ nobis Christus promeruit, mere gratis confarendis, una, & eaque rationi maxime consentanea, fuit, ut, quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur fuisse, quod in nobis est, præsto nobis erunt auxilia Gratiae, quibus ea, ut oportet, ad salutem efficeremus. Disp. 10. in principio, adiungit cæteris, quæ in eodem paragrapho continentur. Et Disp. 11. & §. Post hæc, disputationis 14. n. 5.

Secunda Propositio Molinae.

At vero quicumque fordidus lethalium peccatorum infectus conaretur ex suis naturalibus mortem pro Deo subire, efficeretque, pro oblata occasione, quod in se est, ut formali, vel virtuali suorum peccatorum poenitentia veniam consequeretur, sane, cum Deus facienti, quod in se est, paratus de lege ordinaria sit subvenire supernaturali auxilio, reponeretur in gratia, essetque vere martyr; non tamen solis suis viribus, sed supernaturali Dei auxilio præventus, ac sussultus. Disp. 9. mem. 5. §. Ad quartum.

TERTIUM SCRIPTUM CLEMENTIS VIII.

Post discussam in superioribus Congregationibus Molinae ab Augustino dissonantiam, de eiusdem cum Cassiano concordia agi voluit Clemens VIII. Idcirco quatuordecim potissima Molinae Dogmata, cum Cassiani erroribus conferenda, designavit: quæ utriusque Ordinis Generalibus Secretariis data sunt die 6. Octobris 1602.

An Molinae cum Cassiano conveniat in sequentibus propositionibus?

I. Quod homo in natura lapsa habeat naturale iudicium ad cognoscendum bonum, & malum, habeatque naturalem facultatem ad utramque amplectendum, absque hoc quod aliquam ponat distinctionem.

II.

II. Quod Gratia illuminans, vocans, & excitans sufficiat ad salutem.

III. Quod possit homo ex sola facultate naturæ diligere Deum super omnia.

IV. Quod Deus expectet nostros conatus, quodque aliquando Deus nos præveniat.

V. Quod Deus quodammodo occasiones quarat, & expectet, ut datio, & largitio sua Gratia rationalis videatur.

VI. Quod homo in natura lapsa sufficientes vires habeat ad resistendum gravibus tentationibus, & ad superanda singula difficilia.

VII. Quod eadem sit expositio 1. Cor. cap. 10. Cassiani, & Molinae.

VIII. Quod ante receptionem Gratiae servanda sit laus Libero Arbitrio.

IX. Quod ad donum perseverantiae nihil aliud requiratur, quam gratia habitualis, & auxilium sufficiens.

X. Quod omnia ab eo dicta de conatu libero arbitrii reducantur ad actus necessarios ad justificationem.

XI. Quod homini, ex naturalibus conanti, detur Gratia; ita tamen, ut conatus illi non sint meritorii Gratiae, nec semper necessarii.

XII. Quod propter bona opera naturalia detur Gratia; & quod tamen utriusque eodem modo temperent hanc propositionem.

XIII. Quod possit homo medicum querere, & sanitatem desiderare.

XIV. Quod nemo illorum velit fateri, Prædestinationem mere gratuitam aliquorum esse, non omnium.

Scripto responderunt FF. Prædicatores die 8. mensis eiusdem. Censuerunt, Molinam & Cassianum in hisce quatuordecim Articulis convenire; idque, collatis utriusque testimoniis, demonstrant. Patres vero Societatis nihil scripto dedere; sed Molinæ a Cassiano dissonantiam in publicis disputationibus contra Prædicatorum Censuram ostenturos se, promiserunt. (1.)

QUARTUM SCRIPTUM CLEMENTIS VIII.

Finitis Congregationibus de Cassiani & Molinae consonantia, ad plenioris Cause Cognitionem alie quæstiones agitate sunt. Quarum argumenta jam dudum die 18. Novembris anni 1602. Summus Pontifex designaverat, propositis per Secretarios sequentibus dubiis.

I. An Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 4. Cen. 5. obicit iis, quæ de Attritione, & Contritione docet Molina?

II. An ea quæ Molina docet circa actus omnes, qui elici possunt a libero arbitrio, simul cum iis, quæ de lege dicit, asserat in ordine, & ad effectum justificationis? Et an ex iis, quæ de Libero Arbitrio, & lege affirmat, resultet immediata, ac proxima, vel remota preparatio ad justificationem, & Gratiam?

III. An, quod Liberum Arbitrium, & Gratia sint duæ causæ partiales ad eundem actum perficiendum, & quod Liberum Arbitrium, consideratum ex se, separatim a Gratia, nihil habeat a Deo, nisi possibilitatem illam, quam Deus tribuit ab initio Libero Arbitrio, sit ex sententia S. Augustini, aut ex illo colligi possit? An potius conveniat cum Pelagio, præsertim in loco, relato a S. Augustino lib. De Gratia Christi, cap. 3. & sequenti?

QUINTUM SCRIPTUM CLEMENTIS VIII.

Huic Scripto occasionem dedit disputatio de mente Concilii Tridentini circa primum Articu-

lum Scripti superioris. Cum enim Patres Societatis, ut Molinae doctrinam de Attritione ab errore vindicarent, responderent, a Patribus, & Conciliis solum damnari eos, qui dicerent, posse hominem ex sola naturæ facultate efficere opera pia, hoc est, ex motivo fidei, & pietatis supernaturalis; Molinam vero de iis non egisse: idcirco S. D. N., antequam ad alias difficultates eligendas pergeretur, sequentem quæstionem agitari voluit, quam per Secretarios transmisit.

An bona opera nostra moralia, nedum bona ex genere, & objecto, ac ex officio, & nedum semota omni mala circumstantia, sed e contra vestita omnibus bonis circumstantiis, non dicantur bona, nec secundum Deum, aut florem naturæ, & Gratiae; nec ad pietatem pertinere; nisi sint facta ex motivo fidei, & pietatis supernaturalis, quamvis facta sint, supposita fide, & incuitu, & consideratione iustitiæ Dei, scelera punientis, & beneficiorum Dei miserentis, & tam copiose præstantis, & præsertim consideratione beneficii affectionis proprii Sanguinis in Cruce pro nobis?

SEXTUM SCRIPTUM CLEMENTIS VIII.

Scriptum hoc inter cætera omnia amplissimum, ac celeberrimum fuit. Non dubia complectebatur, sed Assertiones quindecim, innumeris S. Augustini testimoniis confirmatas, quibus suam de controverfis quæstionibus sententiam exponeret Sanctissimus Pontifex; non eo tamen fine, ut eas pro definitis a se dogmatibus traderet, sed ut tempore suo in Congregationibus expenderetur, an S. Augustini mentem feliciter attingisset: Obsult vero præmatura, atque intempestiva morte eo de Scripto sub ejus Pontificatu disceptaretur: de quo idcirco sub Paulo V. duntaxat disputatum est.

Isti erant Scripti hujus Articuli, S. Augustini testimoniis confirmati, quæ nos hic brevitatibus causa omittimus, sed in Appendice, ubi eorum Clementis VIII. Scriptum ex integro datus, legi commodius poterunt.

I. Secundum S. Augustinum datur duplex adiutorium Gratia Divina.

II. Duplex Gratia: operans, & cooperans.

III. Gratia Dei est, quod quis habeat fautores ad bonum.

IV. Secundum S. Augustinum datur Gratia efficax, immo efficacissima; nec tamen per eam læditur libertas liberi arbitrii.

V. Hæc Gratia habet suam efficaciam ab Omnipotentia Dei, & a dominio, quod summa Divina Majestas habet in voluntates hominum, sicut in cætera omnia, quæ sub Cælo sunt, secundum S. Augustinum.

VI. Per hanc Gratiam secundum Augustinum agit Deus Omnipotens in cordibus hominum motum voluntatis eorum, faciendo ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes.

VII. Hanc Gratiam efficacem, secundum S. Augustinum, infundit Deus in cordibus nostris per operationem Spiritus Sancti, innumerabilibus, & occultissimis modis.

VIII. Hæc Gratia Dei efficax secreta est, secundum S. Augustinum.

IX. Hæc gratia efficax, secundum S. Augustinum, est prævia, non pedissequa; datur enim, non quia volumus, sed ut volumus: atque adeo per ipsam efficit Deus, nedum ut operemur, sed etiam ut velimus.

X. Et

(1.) Vide infra in Congregationibus a 18. Novembris 1602. ad 6. Maii 1603.

„ X. Effectus hujus Gratiæ efficacis, secundum S. Augustinum, est certus, & infallibilis.  
 „ XI. Hæc Gratiæ efficacis, secundum S. Augustinum, non inducit fatum, nec efficit propterea Deum acceptorem personarum, nec tollit prædicationem, & correptionem; sed cum libertate humanæ voluntatis optime consistit.  
 „ XII. Hæc Gratiæ efficacis cur uni detur, & non alteri, occultioris iudicii Dei est.  
 „ XIII. Hæc Dei Gratiæ necessaria est ad singulos actus.  
 „ XIV. Hæc Gratiæ nullis meritis nostris redditur, sed gratuita bonitate donatur: nullum enim nostrum bonum meritum illam antecedit.  
 „ XV. Donum perseverantiæ est singulare quoddam Dei donum, non omnibus commune; per quod fit, ut perseveret in bono quisque usque in finem.  
 „ An ista sit doctrina S. Augustini in materia Gratiæ? CLEMENS PAPA VIII.

## SEPTIMUM SCRIPTUM CLEMENTIS VIII.

Cum identidem de Molina mente in Congregationibus disceptaretur, eam penitus introspici voluit Clemens VIII. Idcirco sequentia dubia proposuit die 21. Julii 1603., in futura Congregatione agitata.

„ Quid intelligit Molina, dum dicit, quod in actibus, elicitis ex sola facultate naturali, respicientibus fidem, spem, & charitatem in Deum, Deus inserit se, & elevat, & facit supernaturales? An scilicet intelligat, quod Deus elevat illosmet actus, ex sola facultate naturali factos, & faciat eos supernaturales? an vero quod, posthabitis illis actibus ex facultate naturali, elevet potentiam ipsam, ut alios actus faciat, nedum naturales, sed etiam supernaturales?  
 „ Et an in hoc secundo sensu, stante doctrina Molina, hæc elevationem Deus faciat intuitu, & contemplatione actuum, ex sola facultate elictorum?  
 „ Et an quid amplius tribuat Deus istis actibus, factis, & elicitis ex sola facultate naturali, quando inserit se, quia jam facti sunt a credente in Deum, a sperante in Deum, ab amante Deum super omnia?  
 „ Et si Deus elevat potentiam, ut actus supernaturales novos faciat, cum jam potentia ex facultate naturali possit credere, sperare, amare, dolere de peccatis, cum proposito, & deliberatione amplius non peccandi, & potius subire mortem, quam offendere Deum, & in summa conteri, & atteri propter Deum, An per istam insertionem aliquid amplius assequatur potentia, quam ut facilius hæc omnia facere possit?  
 „ Quid sit supernaturalitas, quam secundum Molinam assequitur potentia, vel assequuntur actus, ex potentia naturali facti, boni, cum ratione objecti, tum officii, nulla mala circumstantia vestiti, sed omnibus bonis circumstantiis; & in summa facti a credente in Deum, a sperante in Deum, ab amante Deum, a dolente, illum offendisse, cum deliberatione amplius illum non offendendi, quando Deus se illis inserit, & eos elevat?

## OCTAVUM SCRIPTUM CLEMENTIS VIII.

Die 30. Novembris 1603. nonnulla Moliniana doctrinae capita, cum doctrina S. Augustini conferenda, designavit, de vocatione hominis ad fi-

dem; ea lege, ut omnia unica Congregatione disputarentur. Fuerunt autem hæc.  
 „ An sit de expressa S. Augustini sententia, aut saltem de eius mente, vel potius contraria ipsius doctrina, quod interna Dei vocatio ad fidem, licet donum Dei sit, multum tamen pendeat a Libero Arbitrio ejus, qui vocatur?  
 „ Item, quod interna excitatio fidelis ad penitentiam quam-maxime pendeat a Ministris Ecclesiæ, atque a Libero Arbitrio?  
 „ Item, quod, dum sumus in via, semper in manu Liberi Arbitrii nostri posita sit nostra salus; perque nos ipsos stet, quod ad Deum non convertamur?  
 „ Item, quod Deus leges ordinarias donorum suorum, adultis distribuendorum, magna ex parte usui Liberi Arbitrii accommodavit?  
 „ Item, an Deus effectualiter exigat ab homine, ut prius faciat, quod in se est, antequam fidem donet? Quamvis enim Deus fidem non conferat propter ea, quæ antecedunt; nihilominus tamen, nisi illa antecendant, conferre eam non solet, ut dicit Molina.

## NONUM SCRIPTUM CLEMENTIS VIII.

Cum Molina Vindices de actibus bonis moralibus, gratiam prævenientem antecedentibus, disputantes, sæpius ab instituto declinasset, ut Pelagian erroris notam effugerent; difficultatem ad terminos, a Patribus, & Conciliis constitutos, revocare necesse fuit. In hunc finem dubia sequentia die 26. Decembris anni 1603. proposuit Clemens VIII., futurarum disputationum argumenta.

„ Præsupposito, quod actus, elicti a libero arbitrio ex facultate naturali, credendi in Deum, sperandi in Deum, diligendi Deum super omnia, poenitendi de peccatis cum proposito, & deliberatione amplius non peccandi, superandi nedum minores, sed graves tentationes, vel saltem cohibendi consensum; ne gravibus tentationibus succumbat; & quod omnes isti actus sint elicti, nedum semota omni mala circumstantia, sed vestiti omni bona circumstantia, tam ratione objecti, quam officii; & quod sint elicti intuitu, & contemplatione Omnipotentia Dei punientis scelera, & præmiantis virtutes; & quod isti actus sint nedum naturales, sed etiam quoad substantiam ipsorum actuum, secundum Molinam, sint supernaturales: an sint, prout ad salutem oportet, supposita lege, quod facienti, quod in se est, Deus det gratiam?  
 „ Item, in quo differant motivum pietatis Christianæ, & motivum, quod actus fiant intuitu, & contemplatione bonitatis, & iustitiæ Dei; cum ii actus fiant ex timore, & amore Dei etiam super omnia?  
 „ Supposito, quod in via Molina Liberum Arbitrium, & Gratiæ sint duæ causæ partiales, & quod Liberum Arbitrium, separatim consideratum, nihil habeat, ut possit assentiri omnibus mysteriis fidei revelatis, tanquam revelatis a Deo, & quia a Deo revelata sunt; & sic quod possit credere, sperare, & Deum amare super omnia, atteri, conteri de peccatis commissis, cum proposito amplius non peccandi; possitque nedum minores, sed etiam graviores tentationes superare, vel saltem cohibere consensum, ne gravibus tentationibus assentiat, Martyrium subire, & in summa omnia bona exercere, non solum bona ratione objecti, & officii, sed quæ sint bona ex omnibus bonis

„ circumstantiis; & hæc omnia facere intuitu, & consideratione bonitatis, & iustitiæ Dei præmiantis, & punientis, & sic ex timore, & amore Dei; a Gratiæ autem habeat motivum, videlicet quod hæc fiant motivo pietatis Christianæ: quanquam ex istis duabus causis partialibus in justificatione nostra præponderet; supposita præsertim lege, quod facienti, quod in se est, Deus dat Gratiam, ac supposita opinione Molina, quod Liberum Arbitrium determinat ipsam Gratiam, eamque, cum vult, possit respuere, & vanam reddere?

## DECIMUM SCRIPTUM CLEMENTIS VIII.

Huic Scripto occasione dedit principium quoddam, a Patribus Societatis in disputationibus statutum. Ut enim constituerent differentiam specificam inter actus elictos ex motivo pietatis Christianæ, & eos, qui eliciuntur intuitu bonitatis, & iustitiæ Dei; velut principium posuerunt, quod obiectum hoc: *Deus est summe bonus, & iustus, & propterea summe amandus, quia magna, eaque innumera in nos consulit beneficia, dedique pro nobis Filium suum in mortem, sit indifferens ad actum naturalem, & supernaturalem; atque adeo, si proponatur per lumen fidei supernaturalis, sit supernaturalis, si vero per lumen naturalis rationis, sit naturale.* Idcirco Clemens VIII. questionem hæc specialiter agendam proposuit die 11. Maji 1604.

„ An, quando intellectus proponit voluntati Deum, amandum, & colendum, ut summe bonum, & summe iustum, præmiantem virtutem præmio vite æternæ, & propterea summe amandum, quia pro nobis & sanguinem profudit; & scelera punientem æterna damnatione, possit dici, quod proponat eum, tanquam obiectum naturale tantum, an etiam supernaturale, aut tanquam indifferens ad actum naturalem, & supernaturalem?  
 „ Et an hoc modo dicatur illud proponere, tanquam rem; ad fidem pertinentem, & sic tanquam obiectum fidei?

## UNDECIMUM SCRIPTUM CLEMENTIS VIII.

Quoniam Patres Societatis suis in responsionibus sæpius Scientia-Mediæ meminerant; peculiariter de ipsa tractationem haberi voluit Sanctissimus Pontifex; eoque sine dubio iust die 15. Julii 1604. disputantibus proponi iussit.

„ An sit sententia S. Augustini, quod ante decretum absolutum Divinæ voluntatis detur in Deo cognitio certa, & infallibilis contingibilium, & dependentium a causa libera, qualem Molina per Scientiam-Mediæ Deo tribuit?

## DUODECIMUM, IDEMQUE ULTIMUM SCRIPTUM CLEMENTIS VIII.

Ne quid Scientia-Mediæ tractationi deesset, de eadem prout enodando Prædeterminationis mysterio a suis Vindicibus accommodatur, agendum fuit. Eo sine duodecimum Scriptum pro futura disputationis argumento dedit Clemens VIII. sub hac forma, die 3. Novembris 1604.

„ An in præsentis Disputatione, in qua tractatur, An Deus ante Decretum Prædeterminationis habeat scientiam futurorum contingibilium, dependentium a causa libera, statuum sit, unicuique esse decretum Dei, in quo decernat, vel-

„ le salvare Petrum? An vero subijciendum sit aliud, in quo sua Divina Majestas decernat conditionaliter, velle salvare Petrum, ponendo illum in tali, & tali ordine rerum, dandoque illi talia, & talia auxilia, quibus si Petrus ex innata sua libertate consentiat, & bene utatur prædictis auxiliis, salvabitur? Et an prædictus bonus usus dictorum auxiliorum proveniat a sola innata libertate, an vero a Gratiæ Dei, quæ facit, ut homo bene utatur dictis auxiliis? Et quæ ex illis sit sententia S. Augustini, & Ludovici Molina?

## CAPUT X.

*Quid Prima, ac Secunda quinti hujus Examinis Congregationis disputatum, ac definitum.*

Die 20. Martii 1602. hora 15. coram Clemente VIII. Summo Pontifice habita est prima Congregatio, præsentibus Cardinalibus, DD. Camillo Burgheio, & Pompeo Arrigonio, nec non Cenforibus designatis. Adum est de duobus Articulis, primo Scripto contentis, ac superioribus capite notatis.

Sedentibus de more DD. Cardinalibus, cæteris autem stantibus, exposuit Sanctissimus D. N. emergentium controversiarum periculum, ardensque causæ expendenda, ac iudicanda desiderium. Duos Congregationis Secretarios instituit, P. Gregorium Nunnum Coronellum, Ordinis S. Augustini, & D. Anastasium Brixientem, Ord. S. Benedicti, qui earum Acta colligerent.

Dato deinde signo, (1) subingressi sunt Generalis Ordinis Prædicatorum cum Didaco Alvarez, & Generalis Societatis cum Gregorio de Valentia: ad quos Sanctissimus Pontifex hunc sermonem habuit, quo Societatis novitates acris impetivit.

(2) Hæc, quæ inter vos tandiu agitata est, Controversia ita pertinacibus concertationibus in multorum aures, & animos per universam Europam se insinuavit, & tam ingentes turbas in multis Academicis excitavit, ut maximum Reipublicæ Christianæ periculum minitari videretur, nisi vel ad pacem mutuum nos ipsi deducamini, vel salutare remedium nos huic negotio adhibeamus. Etenim novis istis vestris opinionationibus, vel veteribus quidem, sed sepultis jam post mille ducentos annos, & ab Ecclesia profligatis, ita Catholicorum animos rursus imbuere studuistis, ut procul dubio videamini pacem scindere, inconstitem Domini Tunicam dividere, & in Ecclesiam Dei Pelagii heresim iterum invohere. Quid enim aliud est, vel proffus repudiari, vel saltem posthabitis, vetustissimis illis, & sanctissimis Viris, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Prospero, & aliis, qui nullis vigiliis, aut labori pepererunt, adversus Pelagianos constantissime dimicant, eorum artes disseruerunt, venenum detexerunt, falsos sensus aperuerunt, & argumentationes omnes dissolverunt: quid, inquam, aliud est, posthabitis his sanctissimis, & doctissimis Patribus, recentioribus quibusdam, vel nullius, vel certe exigui nominis Doctoribus, tanquam ducibus, ad istas vestras opinionationes defendendas uti; quam Ecclesiam Dei Pelagianorum erroribus denuo inficere, & contaminare? Quid est hoc, quod molimini? An non dubitatis, pro defensione unius Molina invohere

(1) Lemos hæc die egrotabat, ut ipsemet testatur in Panoplia Tom. 1. Tract. 6. de P. Molina cap. 36. circa finem. (2) Clemens VIII. in Congregatione.

in Ecclesiam Dei Pelagii dogma? Perpendite, obsecro vos, quam grave periculum a vestris istis concertationibus universo Christiano Orbi impendat. Nolite communi necessitati, & futili privatas vestras rationes præferre. Cedite Patribus, cedite Veritati. Et hoc vos lubentibus animis facturos, sperans, e re presenti forte duxi, universam istam Controversiam ad aliquot capita, vel articulos reducere, ex quorum discussione veritas Catholicæ doctrinæ facile apparere possit. Horum duos, de quibus hodierna die differetis, vobis proposui. In qua disputatione mementote, omnes vos Ecclesiæ unius filios esse. Per Sponsum ejus Christum Jesum rogo vos, ut, omni odio deposito, diffidique propriis femotis, ita inquirenda, & indaganda veritati operam navetis, ut a verofensu Scripturarum, & a defæcata S. Augustini doctrina, quam & Ecclesiæ doctrinam esse, nemo vestrum ignorat, nullis invidiæ, & livoris factibus impediaini.

Mox genitrix Clemens VIII., atque in laetymas effusus, brevem ad Deum Precationem habuit, quam huc transcribimus ex Actis primæ Congregationis, coram eodem Pontifice die 20. Martii 1602. habita. Eadem illa Precatio reperitur in Actis Constantiensis Concilii, cujus singulis Sessionibus præmitti solebat a congregatis Patribus. A Tridentinæ quoque Synodi Præfatus usurpata legitur apud Gasparum Cardillum in Disputationibus adversus protestationem 34. Hæreticorum Augustinæ Confessionis, Disp. 7. Eam Pater Thomas de Lemos ad Benedictum Papam VII., velut Augustinum refert, adeoque pluribus sæculis Constantiensis Concilio antiquiorem putat. Immo ad sæculi septimi initium retrahenda est, si, quod nonnulli conjiciunt, a quartæ Synodi Toletanæ Patribus fuit usurpata, cui Synodo præsidebat S. Isidorus, Hispaniensis Archiepiscopus. Utcumque se res habeat, constat, ab optimo Pontifice Clemente VIII. recitatam esse, ac deinceps ab ejus Successoribus, & ab Eminentiſſimis Sacre Fidei Inquisitoribus ad hanc usque diem sacris Congregationibus præmitti solitam, velut religionis, & humilem victicis, ac efficacis Gratiæ confessionem, ab Apostolica Sede, a Sanctis Patribus, ab œcumenicis Ecclesiæ Synodis sancitam, atque consecratam. Sic se habet: Adulto nobis, quæsumus, Domine Sancte Spiritus, peccati quidem immanitate detentis, sed in Nomine tuo specialiter congregatis. Veni ad nos, & dignare illabi cordibus nostris: doce nos, quid agamus; quo gradiamur, ostende; quid efficiamus operare: esto salus, & suggestor, & effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo, & ejus Filio nomen possides gloriosum. Non nos patiaris, perturbatores justitiæ esse, qui summæ veritatis diligis aequitatem; ut in finistram non nos ignorantia trahat, non favor insectat, non acceptio muneris, vel personæ corruptat; sed iunge nos tibi efficaciter solius tuæ Gratiæ dono, ut simus in te unum, & in nullo deviemus a vero, quatenus in Nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut & hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gesto consequamur præmia sempiterna. Per Dominum nostrum, &c.

Precatione finita, S. Augustini doctrinam elegantiori oratione commendavit, ac veluti lydiæ lapidem esse voluit, ad quem agendam controversiâ probarentur. Laudis ejus partem plurimam in eâ sitam dixit, quod quæstiones omnes, a

Recentioribus quibusdam adversus Divinam Gratiæ necessitatem excogitatas, & ex Pelagianorum fonte petitas, feliciter occupavit, confutavit, debellavit. Ac demum ad singula veniens, innumeris S. Doctoris testimoniis tria hæc demonstravit. 1. Celebrem illam distinctionem, qua veteres Theologi Gratiæ partem sunt in sufficientem, & adjvantem, seu efficacem, ex eius doctrina desumptam esse. 2. Illum nullius affirmare, Gratiæ efficaciam suam efficaciam habere ab Omnipotentia Dei. 3. Eundem illum tam expresse definiisse, Gratiæ istam efficacem prævenire hominis consensum, ut de ejus sententia dubitare, nullo modo liceat.

Absoluta Oratione, Jesuitis præcepit, ut de propositis Articulis dicerent. Tunc Societatis causam acturus Gregorius de Valentia præmisit, instituti sui non esse, Molinam tueri in omnibus; sequere doctrinam ejus defensionem, non tanquam in omnibus magis probabilem, sed solum ut alienam ab omni Pelagianorum, vel Semipelagianorum errore. Deinde ad primum Articulum veniens dixit, Molinam aequales vires ad bonum Libero Arbitrio tribuere cum S. Augustino; eandemque utriusque doctrinam esse.

Postmodum, jubente Sanctissimo, dixit pro Prædicatoribus Didacus Alvarez; atque, vires longe majores a Molina, quam ab Augustino tribui Libero Arbitrio. Augustinus enim, addidit, negat, initium fidei esse ex nobis; Molina vero affirmat, hominem ex solis viribus naturæ posse assentiri omnibus fidei mysteriis, assensu certo, ac firmo, tanquam revelatis a Deo. Id usquam a Molina dictum, negavit Valentia; aut certe de assensu mere probabili intelligendum voluit. At productis ab Alvaresio nonnullis Concordiæ locis, (1) facti veritatem factus est; sed nullum in eo Pelagianum, aut Semipelagianum errorem haberi, contendit. Qua de re cum multa dixisset, interlocvente, & contradicente Alvaresio, silere iussus est.

Tum nonnullis a Prædicatore Generali propositis, quibus ex propria Molina confessione ostendit, eum aliam ab Augustino concordiam viam inuisse; justit Pontifex Gregorio de Valentia, ut, quæ sibi suppetebant, Augustini loca proferret, quibus ostenderet, Molinam in illa propositione de actu fidei, ex sola facultate naturæ elicit, non majores vires tribuere Libero Arbitrio ad bonum, quam Augustinus ipse tribuisset. Tunc ille, sumpta fiducia, ea loca protulit, quibus S. Doctor fidem in demonibus esse propugnat. Quasi vero demonum fides vera virtus esset, aut pia quadam dispositio!

Dum ad hæc reponeret Alvaresius, diversumque Augustini, ac Molina sensum ostenturus, eam Molina sententiam impeteret, qua docuit, voluntatem humanam, & Deum esse duas causas partiales effectus supernaturalis, indeque inferret, fore ut voluntas humana ex sua innata libertate, & ex propriis viribus in talem effectum influeret, sermonem abrupti Generalis Societatis: Hoc certe, inquit, quod Molina docuit de causis partialibus, nullum habet fundamentum; est enim imperitiner dictum. Audita tam sincera Præpositi Generalis confessione, argumentationem suam hoc dilemmate instauravit Alvaresius: Vel ille influxus voluntatis create in actum liberum est illi a Deo, vel illum habet voluntas a seipsa: si a se; ergo habeo innotum contra Molinam; quod scilicet sine influxu Gratiæ Divinæ possit homo ex solis suis viribus elicere actus perfectissimos secundum omnem suam entitatem & substantiam: quod est omnino falsum, & contra expressam doctrinam S. Augustini.

Si

Si voluntati humane inest influxus illa partialis a Deo, atque a Gratia præveniente efficaci: ergo Deus per auxilium efficacis præoperantis Gratiæ efficit actum proprie, quod homo adhibet influxum ad actum liberum, ita ut influxus ille sit effectus præoperantis Gratiæ in genere causæ proprie efficientis.

Respondit Gregorius de Valentia: Concedo hæc consequentiam. Confessionem improbavit Generalis Societatis. Efficit quidem Deus, inquit, quod homo habeat influxum illum in actum liberum, per Gratiæ efficacem prævenientem: sed efficacem Gratiæ, intelligo, moraliter tantum causare illum influxum. Instabat Alvaresius, ut propositio, a Gregorio de Valentia concessa, a Notariis diligenter observaretur. Prædicatorum vero Generali in hoc idem insistente, aliusque clamante, Valentiam simpliciter concessisse totam argumentationem: Quæscit: inquit ille, nondum fuisse vocatus in testem. Qua de re dum inter se disceptarent, Societatis Præpositus, petita venia, e congressu discessit.

Interea Valentia plus nimio impeditus, incertusque, quid ageret, ut irrevocabile verbum liberaret; converso ad Sanctissimum sermone, dixit: Beatissime Pater, ego non respondebo ad ista, quæ Pater Regens Dominicanorum instat contra nos, de Gratia efficaci: quoniam complectuntur quandam opinionem, quam puto esse omnino erroneam, neque posse, salva Fide Catholica, suscipi. Cumque illum eadem rursus argumentatione urgeret Alvaresius, reposuit: Hæc non pertinent ad præsentem speculationem: oportet alias agemus de modo efficacitatis Divinæ Gratiæ.

Ad hæc, indicto per Summum Pontificem silentio, congressus solutus est.

Prædicatoribus, ac Jesuitis foras dimissis, sanctum fuit, ut speciale Molina sententiæ, cum S. Augustini doctrina conferenda, pro sequenti congressibus prægerentur. Iisque demum vocatis præcepit Pontifex, ut deinceps ad propositas quæstiones absque strophis, & fucio breviter responderent. Illos etiam, perinde ac cæteros omnes, ad eam Congregationem admittis, servandi silentii religione adstrinxit.

Die Lunæ 8. Julii 1602. habita est secunda Congregatio coram Clemente VIII., presentibus supra notatis, nec non utriusque Ordinis Generalibus, & eorum Sociis disputaturis. Actum: An majores vires Libero Arbitrio tribuat Molina, quam Augustinus, in hac propositione, quæ est prima secundi Scripti: Cum solo concursu generalis Dei, absque alio dono, vel auxilio Gratiæ, potest homo efficere opus bonum morale, quod fini naturali hominis accommodatum sit, atque comparatione: illius sit vere bonum, ac virtutis opus; non tamen quod fini supernaturali sit accommodatum, quodque comparatione illius, bonum simpliciter, ac virtutis opus dici queat.

Congregationi proluxo sermone præfuit Clemens VIII., A principio, inquit, (1) vobis proposuimus discutendum Articulum primum: Quis majores vires tribuat Libero Arbitrio, an S. Augustinus, an Molina? Respondebant Patres Societatis, aequales vires utrumque tribuisse liberæ nostræ voluntati. Cum autem hæc in re demonstranda, quam Patres Prædicatores impugnant, multum temporis defluxisset, neque ad aliquam conclusionem devenitum esset; censuimus, e re præsentis fore, propositiones aliquas ex Concordia Molina colligere, in quibus tantas vires tribui Libero Arbitrio, ut illud videatur sanum constituere, contra expressam doctrinam S. Augustini, & Ecclesiasticas definitiones: quas

Serry Tom. I.

propositiones utriusque Patribus consignari fecimus, ut Prædicatores ostenderent, illas adversari S. Augustino; Socii vero citarent loca, ex quibus saltem deduceretur efficaciter, non aliter censuisse S. Augustinum. Et quidem Prædicatores, paucis sententiis ex libris S. Augustini depromptis, ostendebant, Molinam a S. Augustino quam longissime discessisse. Patres vero Societatis ingentem quandam sarragenem locorum citabant, quæ diligenter inspeximus, & mature expendimus; neque invenire potuimus, vel unum duntaxat, in quo formaliter, vel virtualiter, aliqua ex propositionibus Molina contingerent. Quo factum est, ut, quo isti Patres magis, ac magis instant, Molinam docuisse cum S. Augustino prædictas propositiones de conatu Liberi Arbitrii sine Gratia Divina adjutorio ad actus, qui ad justificationem requiruntur, eodurior ejus opinio nobis visa fuerit. Quod facile vole ostendere, non quidem desinendo, sed tantummodo proponendo, quæ sese mihi expendenda obtulerunt.

Intitutum hoc per mediam, & amplius horam proferentem est doctissimus Pontifex: maximamque Molina a Scripturis Sacris, Conciliis, SS. Patribus, ac præsertim Augustino, dissonantiam demonstravit, ac demum Gregorio de Valentia, inquit, ut diceret.

Dixit igitur ille: ac præmissa distinctione duplicis ordinis actuum bonorum, contendit, Molinam nativis Liberi Arbitrii facultatibus vires duntaxat tribuisse eliciendi actus pure morales inferioris ordinis sine speciali Dei auxilio; minime vero actus pios superioris ordinis, Deo acceptabiles, ac fini supernaturali accommodatos. Indeque intulit, Molinam de assensu more opinativo, & de fide humana intelligendum esse, dum inquit, posse hominem ex solis suis viribus naturalibus assentiri mysteriis fidei, sibi propositis; minime vero de Fide Christiana, ac Theologica.

Officiosam illam Moliniana sententiæ expositionem confutavit Pontifex, propterea quod Molina ea de fide loquatur, quæ spem, & dilectionem comites habeat: quia docet, hujusmodi hominem, in quo præexistit illud lumen fidei naturalis, posse sperare a Deo, quæ ipse revelavit, & promissit, & posse Deum diligere super omnia, atque etiam conari, pro eo mortem oppetere. Ergo, subjungebat, secundum Molinam habet veram Fidem, & Christianam, quantum ad entitatem, & totam suam perfectionem; quamvis non sit supernaturalis, eo quod non præcesserit Divina Gratia, ex qua traheret esse super naturale. Quod certe ab Augustino remotissimum demonstravit.

Reposuit Valentia, Molinam de certa fide nequaquam loqui, quæ veras virtutes comites habeat: quemadmodum nec vera fides est, nec certus assensus, qui ab hæretico quibusdam mysteriis præstatur; nec patientia, qua mortem pro eorum confessione oppetere, Dei donum dici potest. Primam responsionis partem, quæ Molina contextu aperte repugnat, neglexit Pontifex; alteram (2) sic occupavit: Longe aliter docuit S. Augustinus; nam in libro De Patientia, cap. 27. quærit: Utrum ista patientia donum Dei sit, an viribus tribuenda sit voluntatis humanæ, qua quisque, ab Ecclesia separatus, non pro errore, qui eum separavit, sed pro veritate Sacramenti, seu verbi, quæ apud eum remansit, timore penarum æternarum penas patitur temporales? Et resolvit, negandum non esse, hoc etiam esse donum Dei. Valentia autem adhuc confidentius reponente, Augustinum de hæreticis non agere,

A a

sed

(1) Clemens VIII. ad Congregationem. (2) Disp. 8. §. Ex dictis.

fed de schismaticis, qui pie, & ex Fide pia, & Christiana patiuntur pro veritate Sacramenti; responsi falsitatem propulsi. „ Lege, inquit, caput 26. ex quo orta est questio capitis 28. & videbis, S. Augustinum locutum fuisse de schismatico hæretico. Et hujus tolerantiam in supplicio dicit esse Dei donum, ne cogamur fatēri, sine adjutorio, & munere Dei in voluntate hominis posse esse aliquid boni. Neque enim hoc non est bonum, ut credat homo, aeterno supplicio se esse puniendum, si negaverit Christum, & pro illa fide quaecunque supplicium perferat, & contemnat humanum. Addit tamen, alia esse dona filiorum Jerusalem, quæ sursum libera est, mater nostra; Hæc enim sunt hæreditaria quodammodo, in quibus fumus hæredes Dei, coheredes autem Christi: alia vero, quæ possunt accipere etiam filii concubinarum, quibus Judæi carnales, & schismatici, vel hæretici comparantur. Quod si, ut tu putas, schismaticus iste, de quo S. Augustinus ait, patēretur ex fide pia, quæ per dilectionem operatur, commensurata cum fine supernaturali, qualem vos semper vultis intelligi; utique confereatur dona filiorum illius Jerusalem, quæ sursum libera est, mater nostra. Non autem sic inquit S. Augustinus.

Nihil ultra Gregorius de Valentia; sed iustus ad propositum disputationis dubium respondit Thomas de Lemos. Ille ergo duo probanda sibi sumpsit, 1. Longissime distare opinionationes Molinæ de viribus naturalibus Liberi Arbitrii ad bonum a vera, & Catholica S. Augustini Doctrina. 2. Loca omnia Sanctissimi Doctoris, in ejus defensionem adducta, in alienum sensum detorta fuisse.

Hæc dum urgeret Vir eruditus, multisque ostenderet, quam sine Molinæ vindices ex nonnullis Apostoli, & Augustini locis intulissent, nullum esse opus vere bonum in ordine virtutis moralis, quod homo sine specialio adjutorio præstare non possit; in ejus sententiam venit Summus Pontifex, tulitque supplicia contra Molinam. „ Certe, inquit, S. Augustinus semper constans permanit in eo, quod semel docuerat, Virtutes non officiis, sed finibus, a vitis discerni, & in anima, post lapsum primorum Parentum, solum remansisse aliqua lineamenta extrema, unde dici possit, homines etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere, ne scilicet aliquis putaret, vim omnem naturæ, & Liberi Arbitrii fuisse per peccatum extinctam. Unde dicit, illud quaecunque bonum, quod homo ex se facit, habere quidem quandam sui generis probitatem, hoc est, non omnia, quæ ethnicus, vel impius operatur, esse peccata. Velle autem hinc deducere, nullum esse opus bonum, morale, quod sit vere bonum, & virtutis opus, quod homo per solas vires naturales facere non possit, mihi velle durum videtur.

Tum intermissum sermonem resumens Thomas de Lemos multa ex Augustino concessit, ut ostenderet, nullam sine speciali Dei dono dari posse virtutem, etiam in ordine moris; eaque in parte idem profusus Molinæ, ac Juliani Pelagiani systema fuisse. Ad hæc responsurus Valentia, rursus contestatus est, nolle se Molinæ sententiam, ut veriorē, tueri, sed ut probabilem, & ab hæresi Pelagianam alienam. Respondente autem illo, contrarium Augustinum inter, & Julianum olim habitam, de virtutibus Deo acceptis, & fini supernaturali accommodatis, duntaxat intelligi posse; quasi eas solas, non item morales ex Dei do-

no esse, contendisset S. Doctor: loquentem interpellavit Sanctissimus Pontifex. „ Profecto, inquit, S. Augustinus contra Julianum non disputabat, nisi de virtutibus moralibus, quas Julianus dicebat reperiri in ethnicis, & impiis hominibus. Nec potuit usque adeo versipere, ut putaret, fuisse in ethnicis vere virtutes, fini supernaturali accommodatas. Sed ideo impugnabatur a S. Augustino, quia contendeat, hominem sine Gratia posse operari bene moraliter, propter Deum: quod similiter asserit Molina. „ His dictis, multa de Molinæ sensu Lemofium inter, & Valentiam disputata sunt, Pontifice contra Molinam identidem interloquente; eumque Pelagianismi durius infimulante.

Ventum tandem est ad alteram disputationis partem: An virtutes morales sine fide, & charitate, vere virtutes dici possint? Affirmavit Valentia, fretus mutilato S. Thomæ testimonio; negavit Lemos, eodem illo in integrum laudato. Verum ad alterum Doctoris Angelici locum consurgente Molinæ Defensore, ex 1. 2. q. 65. a. 2. petitum, quem dimidiatum, & a priori articulo, cui indivulso conjunctus est, secundum laudabat; commotus Lemofius librum asserit, (1) petit a Summo Pontifice: eoque lecto, ostendit duorum illorum articulorum collatione, posse in homine sine gratia esse virtutes quasdam imperfectas morales; id est quasdam inclinationes naturales ad opera aliqua de genere bonorum faciendæ: veras autem virtutes morales, cum sint connexæ, sine gratia haberi non posse.

Altercatum subinde de Juliani, & Molinæ mente hoc in capite: ostenditque Lemofius, eo usque laxitatis pervenisse Molinam, ut nullum ex Originali peccato vulnus consecutum voluerit; Valentia nihil plane in oppositum reponente.

Pauca subiunxit Prædicatorum Generalis, doctrinæque Molinianæ Singularitatem ex Molinæ confessione probavit: quippe qui factus est, Sententiam illam suam non reputari tutam in multis provinciis, & scholis, propter antiquos Patres, & Concilia, quæ ex adverso produciuntur: sperat tamen, in Ecclesia aliquando, deservendam; vel saltem frequentiam fore. Nonnulla etiam de Molinæ, ejusque Defensorum interpretatione subiunxit, circa celebrem Apostoli locum: Genes que legem non habent, ostenditque, nihil ex Bulla Gregorii XIII. extundi posse, quod ei vel leviter faveat.

His dictis, abire iusti sunt Generales Ordinum cum Disputantibus, ut de disputata questione iudicium ferretur.

Judicium Congregationis de I. Propositione. (2) Dimissis utrique Patribus, voluit S. D. N., ut singuli Consultores suas proferrent sententias; & quid de principali controversia sentirent, libere dicerent: An scilicet prima Molinæ propositio, de qua disceptatum fuerat, asserita esset secundum mentem S. Augustini, vel ex ejus doctrina deduci posset in eo sensu, in quo Molina illam docuit.

Qua de re cum diffuso sermone singuli dixissent, remque omnem plane, cumulateque pertrassissent, diligenter expendentes tum Molinæ mentem, & germanum propositionis sensum, finemque, ab illo eo loci intentum; tum etiam S. Augustini hæc de re planam doctrinam, propugnatam potissimum contra Julianum Pelagianum lib. 4. cap. 3. censuerunt omnes communiter, Molinæ propositionem primam esse omnino contrariam expressæ doctrinæ S. Augustini, neque excusari aliquo modo posse ab errore; non obstantibus ex adverso productis a Patribus

„ So-

Societatis scripto, & voce. Communi tamen huic iudicio non assentiebantur Dominus Aquilensis, & Patres, Procurator Ordinis S. Augustini, & Regens Collegii Carmelitarum: qui dixerunt prædictam Molinæ propositionem posse se probabiliter defendi, neque esse contrariam doctrinæ S. Augustini. Sicque absoluta fuit præfens Actio prope horam decimam nonam.

### CAPUT XI.

Quid tertia, & quarta Congregatione disputatum, ac definitum.

Die 9. Julii 1602. celebrata est tertia Congregatio coram S. D. N. Clemente VIII. Agendum fuit de secunda Molinæ Propositione: nempe, Propositio, & explicatio bis, quæ credenda sunt; adhibitis insuper argumentis, quæ asseri solent, ut homines merito sibi persuadeant, ea revelata esse a Deo, & iusta credi, & denique accedente externa vocatione ad fidem per Concionatores, aliosque Ecclesiæ Ministros, in facultate Liberi Arbitrii est, cum solo concursu generali Dei rebus propositis assentiri, tanquam a Deo revelatis; actu tamen, qui sit mere naturalis, quique ex parte intellectus non sit satis ad justificationem.

At momente Sanctissimo, ut de ea Patres Societatis agerent, protinus Præpositus Generalis dixit: Beatissime Pater, petimus a Sanctitate Vestra, ut nobis permittat aliqua addere ad ea, quæ Patres Prædicatores objecerant contra primam propositionem Molinæ; quoniam in hefero congressu non satis a nobis hæc de re dictum fuit.

Lemofio stomacho fuit ad supplicatio. Apparet, exclamavit, Beatissime Pater, quid hi Patres moliantur; solum enim contendunt tempus terere, ne unquam ad aliquam conclusionem perveniantur. Assensus est nihilominus optimus Pontifex, ne ullam eis querimoniam antam daret. Putabam, inquit, satis a vobis dictum fuisse de prima propositione. Quoniam tamen adhuc vultis audiri de eadem questione, proferite, quæ vobis superesse dicenda in favorem Molinæ, asseritis.

Dixit igitur Gregorius de Valentia, eaque repetit universa, quæ in ultimo congressu ex S. Thomæ 1. 2. q. 65. a. 2. propulerat. Legem etiam a Summo Pontifice statui petit, ut scholastica methodo deinceps ageretur. Ad hæc jam facta a se responsum, subiunxit semel, & iterum Lemofius; sensumque Doctoris Angelici ex articulo superiori colligendum esse. Cum autem decursu disputationis eo pervenisset, ut Molinam voce tenuis peccatum Originale admisisset; revera tamen penegasse, ostenderet, surrexit Antonius Bovius, Consultorum unus, totus Molinæ partibus addictus: Tota, inquit, controversia in hoc est, An Molina convincatur, quod posuerit, in homine ex ingenitis naturæ viribus esse posse virtutes morales, connexas, acquisite. Si enim hoc dicat, vel per evidentem consequentiam deducatur ex illius doctrina, convincitur asserere, in homine non esse somitem, & quod non sit traditum in posteros peccatum Originale. Conditionem lubens accepit Lemofius; probavitque hoc duplici argumento: Molina ait, posse hominem habere easdem virtutes, sicut potuisset, si in puris naturalibus fuisset conditus: sed in tali statu precul dubio potuisset habere omnes virtutes connexas, quia fuissent illi proportionatæ, neque ulla impedimento retardaretur: Ergo & in statu naturæ lapsæ, secundum Molinam poterit habere omnes virtutes morales acquisite. Præterea, Molina docet expresse, posse hominem diligere Deum super omnia ex sola naturæ facultate: sed ista est legis plenitudo, ut ait Paulus: Ergo in illa continentur omnes vir-

Serry Tom. I.

tutes naturales; sicut virtutes supernaturales consequuntur charitatem supernaturalem.

Nihil ad primum respondit Valentia. Ad secundum autem ait, Molinam loqui de dilectione imperfecta. Tunc in Lemofii partes veniens Clemens VIII. „ Si homo, inquit, secundum Molinam potest de facto diligere Deum super se, & præferre illum rebus omnibus, & propria vitæ, ex solis suis naturalibus; quomodo dicit, illum intellexisse, hanc esse dilectionem Dei imperfectam? Vel quomodo iste talis cum hac dilectione, non habeat omnes virtutes connexas? Cum enim non possit stare cum hujusmodi dilectione aliquod peccatum, quia jam homo præfert Deum cunctis rebus, quas Deo prius præferbat, unde erat in peccato constitutus; procul dubio omnes virtutes habet, & pro illo tempore, quo durat in hujusmodi dilectione, erit in statu perfectæ virtutis.

Nodum distumpere tentavit Valentia, quem solvere non poterat. Idcirco Pontifex ait: Beatissime Pater, precamur humillime Sanctitatem Vestram, ut hæc disputatio in aliud tempus differatur, quia pertinet ad septimam propositionem. Et certe Molina non loquitur, nisi de dilectione Dei super omnia simpliciter. Institerit secundo Pontifex in oppositum. „ Molina dicit, posse hominem habere hunc actum absolutum: Volo Deo placere in omnibus, & per omnia, & pro illius amore sum paratus mortem optere. Si actu absolutum diligat Deum plusquam se, & propriam vitam; quomodo est dilectio ista imperfecta, & inefficax? Majorem enim dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. „ Ad quæ rursus Valentia: Suo loco, Beatissime Pater, agatur de hac difficultate. Nec aliud ab illo extundi potuit. Quare ad secundam Molinæ Propositionem pergere, necesse fuit.

Ad eam itaque, jubente Pontifice, veniens Gregorius de Valentia, duo probanda sibi sumpsit, quæ sulsus dato jam pridem Scripto continebantur. 1. Molinam intelligendum de assensu mere opinativo, & fide humana. 2. Nihil illi cum Semipelagianis commune esse; quia hujusmodi fides, a Molina naturæ viribus adscripta, nihil ad salutem valebat, nec præcedente illustratione supernaturali in intellectu, & motione pariter supernaturali in voluntate. Contra utrumque militavit Lemos: primum, adductis Molinæ locis, confutavit: alterum, variis ex Augustino deductis autoritatibus, falsum ostendit: Quia, nempe, hæc excitationes constituebant Semipelagianas; & forte Pelagius ipse illas etiam concessit; & nihilominus fuerunt damnati, quod ponerent re ipsa, initium Fidei Christianæ esse ex nobis: atque adeo, cum Molinæ id omnino tribuat naturæ hominis facultati, quod Semipelagianis illi tribuebant; non aequè vindicatur a nota erroris, constituendo illas supernaturales illustrationes, quas etiam Semipelagianis admittiebant.

Multa deinde concessit, ut varias Molinæ Defensorum evasiones, in prolixiori Scripto quaeritas, confutaret. Quibus festive respondit Gregorius de Valentia: Tam multa dicta sunt a Patre, ut illa nec memoria tenere, nec repetere valeam. Lepidam responsonem derisit Lemofius, nec sine mortu: Oportet, inquit, meminisse omnium, & ad omnia respondere, sicut ego ad omnia illa, quæ dixisti, æque responsum dedi. Mirum, quam eo verbo exulceratus sit Molinæ Vindex. Idcirco aleato sermone subiunxit: Quoniam igitur me compellis dicere, breviter respondebo, omnia, a te tam copiose disputata, nihil omnino concludere contra Molinam: non minus enim quam calum, & terra, distant sensus Molinæ, & sensus Pelagianorum, &

A a 2

Semi-

(1) 2. 2. q. 23. a. 7. in corp. & ad 2. (2) Ex act. Secretarii. In Compendio Coronelli sic. Hæc propositio est contra expressam doctrinam S. Aug. traditam lib. 4. contra Jul. Pelag. c. 5. Exceptis, &c.